



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

**Vita Venerabilis Arnesti, (vulgò Ernesti) Primi
Archiepiscopi Pragensis**

Balbín, Bohuslav

Pragæ, 1664

Notæ in Caput XV.

urn:nbn:de:hbz:466:1-42763

206 DE VITÆ VENERABILIS ARNESTI LIB. II.
bet in primis Provincialis statuta, nuper à se condita, Populo expli-
cari, specialia item Ecclesiarum singularium Statuta (quæ ait à se
conscripta) diligenter, ac religiosè servari. Monet omnes, ut se ad
visitationem Diocesos futuram comparent. Vetat Clericos igno-
tos, suspectos, multòq; etiam minus infames, aut proscriptos recipi
& absolvī. Jubet Festum Lanceæ & Clavorum Domini, Feriā VI,
post Octavam Pasche solenniter celebrare (de quo Festo historiam
se concinnasse, quæcumque populo prædicent, placere addit: Sacra-
rum Reliquiarum festum diem Octavo post S. Stephanum Mari-
rem die in Ecclesia Pragensi religiosissimè coli. Jubet ut omni ad
populum concioni Oratio Dominica & Apostolorum symbolum pra-
mittatur. Ad extreum inter Missarum solennia osculum Pacis
porrigendum esse, cāmq; in rem XL, dierum Indulgentias concedit.
Datae litteræ Prague A. 1355, in die B. Lucæ Evangelistæ. Aano
Archiepiscopatus XII.

Notæ in Caput XV.

Exemplar Decreti. Titulus editi hujus in M. S.
Codice inventi hic fuit: Statutum minus Domini Arnesti
Archiepiscopi Pragensis, videlicet de Lancea, & Clavis
Domini, & est etiam provinciale.

Provincialia Statuta. De his Statutis egi pridem
l. 2. C. 4. Tanta verò copia, tōq; exemplaria eorum Statutorum inter
manuscriptos libros in bibliothecis Bohemia inveniuntur, ut nihil eo
libro sit communius. Vidi ipse quām plurimos auro ac serico cum um-
bilicis involutos, plerosque in membranis eleganter, & ad summam
gratiam pictos; in Bibliothecis Monasteriorum per Bohemiam, Mo-
raviam, atque etiam (quod mirere) per Austriam libros Statutorum
Arnesti sapienter inveni. Vnde non satis mirari Pontanum Ecclesia
Pragensis Metropolitana Decanum possum, qui Statuta Arnesti ra-
rissimè reperiri, séque tria tantum exemplaria vidisse scripsit,

Pont. à Brei-
tenberg in
Prafat, ad
Statuta Ar-
nesti.

Statu-

Statuta specialia per nos data. Hinc Arnesti incredibilem diligentiam colligas, qui Provincialibus Statutis non contentus, pro quibusdam Ecclesijs particularia condidit, sed ea nunquam mibi contigit videre.

Historiam concinnâsse. Quam multa ab Arnesto scripta periisse necesse est, cum haec, quæ eo tempore in manibus omnium versabantur, & quibus nihil communius, utpote tot exemplaribus comprehensa, tamen amissa sint, & ad nos ab antiquitate non per venerint.

Festum Reliquiarum octavo post S. Stephani die. De hoc festo vetustissimum Metropolitanae Pragensis Ecclesiae Martyrologium manuscriptum, quod coram Archiepiscopis inter sacras Sacerdotum preces quotidie legebatur in Templo, haec haber: Quarto Nonas Januarij festum Allationis omnium Reliquarum, quas Christianissimus Princeps Carolus IV. Romanorum Imp. semper Augustus, & Bohemiae Rex, in diversis mundi partibus magnis obtinuit precibus (prout in suis locis infra singulariter describuntur) & easdem Reliquias auro, argentoque & gemmis pretiosissimè ornatas donavit Ecclesiae Pragensi. Hoc festum Papa Innocentius VI. ad instantiam dicti Imperatoris, constituit in Diœcesi Pragensi solenniter celebrari, & omnibus ipso die Ecclesiam Pragensem visitantibus, confessis, & contritis donavit Indulgentiam unius anni, & unius quadragenæ perpetuis temporibus duraturam.

Martyrologium S. Ecclesiae Pragensis M. S.

Cc 3 Librum